

L I G U R I A.

Iulium Cæsarem Augustus Octavianus Imperator, qui non tantum Galliarum, & aliarum Romani Imperii provinciarum, sed & Italiae novam divisionem fecit, terminum Ligures inter & Etruscos constituit Macram amnem. A meridie mare Inferum habet; quod inde Ligusticum appellatum: ab occasu Varum amnem & Alpium juga ad Padi usque fontes, inde ipse Padius, à Septentrione Apenninum montem cum Cisapenninis Liguribus Æmiliaeque parte. Longitudinem oræ maritimæ inter Macrae ac Vari ostia Plinius extendi vult millibus passuum 211. Ptolemæus gradibus quatuor, hoc est, miliaribus CLXXVIII. Hodie vero in ea numerantur milliaria CC. Divisa fuit intra hos fines universa gens in varia nationum sive populorum nomina, *Intemelios, Ingaunos, Statielles, sive Statielates, Vagiennos, Veliates, Euburiates, Casmonates, Vibellos, Magellos, Capillatos, Vediantios, Epanterios, Celalates, Cerdiciates, Briniates, Friniates, Garulos, Lapycinos, Hercates,* & omnium celeberrimos Apuanos, Macrae fontium accolas.

Flumina.

Flumina habet *Varum, Paulon, Rutubam, Merulam, Porciferam, Feritorem, Lavaniam,* & denique *Macram.* *Varus* non ob magnitudinem vel dignitatem suam, est enim multis aliis fluminibus minor, celebritatem meruit, sed quod limes sit inter Galliam & Italiam. Ita Lucanus lib. 1 de bello Pharsalico:

Finis est Hesperia, promoti milite, Varus.

Oritur in Alpium capite ex monte Sallyo, supra villam D. Stephani, & haud procul Nicæa Massiliensium mari illabitur. Universe Italiae limites Varo & Arfia Istriæ flumine designantur. Recipit, qua occidentalior ejus ripa & Gallica, fluvios, qui vulgo apud Gallos audiunt *Caremp, Lavaire, Esteron*: qua orientalis & Italiam spectans, *la Line, & la Vesubie.* *Paulon*, qui *Palion* hodie, fluviolus est inter Varum & Nicæam, sub hujus mœnibus labens & in mare excurrent. *Rutuba* orientale Albintimilii latus abluit. Vulgo nunc *la Rotta* detorto vocabulo dictus, quod apud nonnullos auctores legitur *Rodoria*, & ipsum miro modo detortum, quum legendum sit *Rotta rio*, id est, *Rotta fluvius.* Meminit ejus Lucanus lib. 2, ubi amnes recenset, quos Apenninus mons fundit. Verba Poëtæ hæc sunt:

*Dexteriora petens montis declivia Thybrin,
Vnda facit, Rutubamque cavum.*

Cavum dixit, quia per profundam vallem labitur præaltis ripis. Prope Albingaunum ab occidentali ejus latere, fluit *Merula* amnis, Plinio memoratus, vulgo *Arocia* dictus, uti refert Cluverius, uti *Leander, Meira.* Vallem amœnam longamque M. P. VIII permeans, mari jungitur, ubi promontorio *Merula* nomen facit. Ulterius, flumen est *Porciferam*, vulgo nunc *Porcévera* & *Porcéra*, cujus solus Plinius meminit. Oritur in Apennini jugis, cursuque millium XV mare petit. *Feritor* fluvius inter Portum Delphini & Genuam occurrit, vulgari vocabulo dictus *Bisagno*, vel, uti P. *Merula* notat, *Ferisano.* *Macra*,

hodie *Magra*, Apennino profluens Liguriam ab ortu finit. Tantis ejus est impetus, ut navigari commode nequeat, teste Lucaño:

*Culta Siler, nullasque vado qui Macra moratus
Alnos, vicina percurrit in æquora Lunæ.*

Recipit *Macra* præter alios, *Laulam, Bagnonum, Graveiam,* & Ptolemæo notum *Boactem*, qui oppidum *Brignolo* præterlapsus, in dextram *Macrae* ripam defluit.

Montes habet *Balifam, Suimontium, Letum,* Montes quorum meminit Liv. lib. 40 & 41. Priores duo ii sunt, qui ad *Laboniae* sive *Entellæ* ac *Sturlæ* fontes hodie vulgaribus appellationibus dicuntur *Monte Cervera* & *Monte Penese*, unde per *Ceni* atque *Tari* amnium valles itur *Parmam*, & in *Macros* campos inter *Parmam* & *Mutinam* sitos. *Balifam* *Leander* *Valestram* vocat; *Letum*, qui pars *Balifæ* videtur fuisse, *P. Alpi del Pelegrino.*

Promontoria ad Liguriam pertinentia sunt, *Promontoria.* *Merula* promontorium, à *Merula* fluvio, hodie *Capo delle Melle*; & *Sumarium* hodie *Caput Montis*, vulgo *Codemonte.* Mons est saxosus, adscensuque perdifficilis, mare spectans, D. Fructuoso sacer, cui in eo fanum augustum. Ex altis ejus asperisque rupibus claræ præcipitant aquæ, quæ mox per angustas fauces mare petunt.

Valles habet amœnissimas; *Oneliam*, quæ *Diana* quoque dicta ab oppido *Diano*, pagis vicisque multis superbientem; *Porciferam*, ab amne cognomine, quo perluitur, appellatam, villis sumptuosissimis nitentem: *Rapallinam*, citris passim, medicis, limonibus, oleis, aliisque fructiferis arboribus ornatam, prope sinum *Rapallinum.*

Nec portubus quoque destituitur Liguriæ *Portus.* ora, licet eam *Strabo* importuosam vocet. Inter hos celebriores sunt, *Portus Herculis Monaci*, qui etiam nunc nomen antiquum retinet, vulgo *Monaco* & *Monico* dictus, Græcis *Μόνιμος*, vel quia pulsus omnibus illic solus habitavit *Hercules*; vel quod in ejus templo nunquam aliquis deorum simul colitur; sicut in *Iovis Minerva* & *Iuno*; in *Veneris Venus* & *Cupido.* Stationem hanc describit *Lucanus*, lib. 1:

*Quaque sub Herculeo sacratus nomine portus,
Vrget rupe cava pelagus; non Corus in illum
Ius habet aut Zephyrus: solus sua lititora turbat
Circius, & tuta prohibet statione Monaci.*

Leander vult illi esse portum, qui hodie prope *Nicæam* appellatur *Villa Franca.* Fuit olim hic *Olivula* portus, qui nullus alius est, quam qui nunc *Villa Franca* appellatur. *Navo* portus inter hunc fuit & *Monacum.* Est & portus *Mauricii*, vulgo *porto Moriso*; *Antonino* portus *Mauri* dicitur, nomine magis, quam re portus. Sequitur hunc portus *Vadorum Sabatorum*, qui hodie dicitur *Vadi.* Præterea haud procul *Sumario* promontorio est portus *Delphini*, hodie *Porto fino*, septemdecim circiter millia passuum ab urbe *Genua* distans. Adhæc portus *Veneris*, hodie *porto di Veneri*, eique ex adverso portus *Ericis*, *porto di Erici* dictus à castello cognomine, quod ei imminet.

Oppida urbesque Liguriæ aliæ sunt maritimæ, aliæ mediterraneæ. Inter maritimas prima est